



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Eteni[m] seruus tuus custodit ea, in custodie[n]dis illis retributio multa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Et tamen spiritus ueniens, hæc omnia non solum facit tolerabilia, sed amata & desiderabilia & dulcia, super omnia quæ desiderari possunt, & super omnia quæ delectari possunt.

Fructus Euangelice prædicationis.

Ex his omnibus arbitror patere, quæ in signis sit propheta David, quæ habeat propriam phrasim, propriasque figuras & tropos, tam uerborum quæ sententiarum, qui uerbis apertissimis, tam profunda & occulta, breui compendio tradere potuit, ut nemo consequi possit. Habemus ergo fructum Euangelicæ prædicationis: Amorem iustitiæ, & odium iniquitatis, id est, plenitudinem omnium legum, quæ cum nullis uiribus, nullis operibus, nullis legibus, nullis studijs, obtineri possint, superest, ut desperatis omnibus, per solam fidem CHRISTI, ad ea perueniamus.

Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.

Iudicia, id est mortificatio ueteris hominis,

Hebræus, pro custodit ea, dicit, Prouidus uel cautus uel doctus est in eis, quod Hiero. uertit, Docebit ea, sed, propius noster, qui dicit, Custodit ea, iterum sequente dictione motus, ad præcedentis diuinãdam potius significationem quæ proprie reddendam, more suo, Parum tamen distat. Puto autem ad omnia prædicta pertinere, quod dicit, non tantum ad iudicia. Quamquam reuera, quid est lex, dum paulatim proficit, in testimonium, iustitias, præceptum, timorem, iudicia, quæ hæc ipsa iudicia, id est, mortificatio ueteris hominis: in qua una re, lex consummatur, destructo enim peccato, impleta est lex, & sola iustitia dominatur, quare una cura est, his qui sunt serui dei, ut in eo, quod potissimum & nouissimum est legis, id est iudicijs, exerceant sese & prouidi cauti que sint ueteris fermenti obseruatores, qua sententia & Paulus Gal. v. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixi fixerunt cum uitijs & concupiscentijs eius.

Cautos esse oportet circa corpus,

Nec frustra sane admonet, ut cauti obseruatores sint, propter astutiã serpentis, quæ facile seducit incautos, ut de Corinthijs timer. Apostolus, Prudẽtia enim carnis, quæ sit neque, & quæ habeat oculum nequam, quæ subtili studio quærat quæ sua sunt, & sancta specie sese ornet, nulla satis potest obseruatione deprehendi, de qua pulchre Taulerus in suis sermonibus, ubi toties naturã arguit astutissimam in suis affectibus, quibus omnibus resistitur iudicijs & lege domini, donec ple ne occidatur & destruat corpus peccati & absorbeat mortale hoc, a uita immortalis. Interim quantumlibet spiritu seruiamus, condelectemur legi dei, tamen corpus quod corrumpitur aggrauat animã, ut carne seruiamus legi peccati, & hæc causa est, ut cautos nos esse oporteat obseruatores iudiciorum dei, quibus damnatur illa seruitus peccati.

Et quamquam hoc molestum sit & laboriosum, tamen exercitatis per ea pacatissimus fructus iustitiæ reddetur, ut Hebræos. xij. docet Apostolus. Et hic David: In custodiendis illis retributio multa. Est enim merces operi tuo, ait per Hieremiam: Quæ omnia dicuntur in consolationem laborantium, qualis est mercennariam præmiorum ac seruilem cupiditatem stabiliendam, qualis est eorum, qui opusculis quibusdam suis, deum nescio quem negotiatorem faciunt, cum nihil profus in iudicijs domini laborare uelint. Sic & i. Corinth. xv. consolatur laborantes, Sciens, quoniã labor uester non est inanis in domino. Oportet enim seruos dei scire, sese placere deo in labore suo, ne deficiat atque cõtristato spiritu desperent, cum ille uelit hilares gratuitos operarios in lege sua, placentes autem deo, in euitabiliter sequitur, etiam si hoc non quærant, merces.

merces multa, cum non possit seipsum deus negare, qui ad Abraham dicit,
Gen. xv. Ego merces tua magna nimis.

Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me.

Domine & meis, in hebræo non sunt. Et delicta, errores sunt, ut Hierony-
mus transfert, seu ignoratiæ, sic psal. vij. titulum omnes sunt interpretati: Igno-
rantia David, quo significatur etiam ea peccata, quæ nos occulto præsumptio,
ut superbia uitio p bonis actibus habemus, scilicet ea est carnis nequitia,
ut sepius in ipsa media tribulatione & humilitate, nos fallat, ut de humilitate
ipsa nobis placeamus, ac de ipso nostri contemptu, de ipsa peccati confessione,
de ipsa superbia accusatione, superbiamus. Ideo non possunt non esse uera iu-
dicia domini & iusta perpetuo, etiam si perpetuo illis iudicemur & quicquid
sumus & facimus per ea damnetur.

Quæritur, unde ista delicta & errores seruo dei, qui custodit iudicia domini,
& cui lex innocens, fidelis, recta, electa & omnibus modis amabilis est: An &
dilectio nõ est plenitudo legis: An nõ custodit seruus dei, iudicia dei, aut men-
titur sese custodire: Respondet Apostolus Ro. vij. Corpus mortuū est propter
peccatum, spiritus autē uiuit propter iustificationem. Vnde & in hoc Prophe-
tæ spiritus, docet fideles Christi, simul esse peccatores & sanctos, & condelecta-
ri seruireque eos mente legi dei, & carne legi peccati. Quātum enim credunt, tan-
tum iusti sunt, quātum uero carnem habent, tantū peccatores sunt. Caro enim
concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Carnem autem (ut
dixi) non crassam hanc partem nostri intelligimus, sed affectum carnis occul-
tissimum & altutissimum, caput scilicet serpentis antiqui, a quo nemo satis sibi
cauere potest, qui & facit, ut nemo errores suos intelligat & in multis offenda-
mus omnes, & occultis in quinemur, ut non sit iustus in terra, qui faciat bene
& non peccet. Stat ergo sententia: Donec in carne sumus, nemo suos errores
intelligit. Ideo cū Iob. vij. omnia opera nostra uereri oportet, & scire q̄ in con-
spectu dei non iustificabitur omnis uiuens.

Proinde desperado de seipso & omnibus suis, unum hoc remedium appre-
hendat, ut ad thronum misericordiæ cōfugiat, petatq̄ mūdari ab occultis, hac
sola humilitate saluus erit, cor enim hominis prauū est & inscrutabile. Et quis
glorietur se habere mundum cor: Et Aug. hic uere dicit: Peccatum ita tegit
oculos, ut etiam hoc non uideas, unde teguntur, immo hoc minime omnium
uideas, ut in oculis quoq̄ carnalibus cernere est. Non ergo dicit: Quis delicta
habet: oēs enim habēt, sed nõ omnes intelligūt, immo nemo intelligit.

Cum autem hæc scientia sit uniuersalis, prorsus omnibus hominibus tribu-
ens delicta, quæ nõ intelligāt. Quid audēt nostri Sophista, qui prætextu igno-
rantia inuincibilis, obicis oblati, primi motus, faciendi quod in se est, & alia
rum multarum nugarum, homines securos & mundos faciunt, incautos & in-
curiosos reddunt, in iudicijs dei obseruandis, & aliquando sine peccato saltem
ueniali esse posse somniant: Propheta certe, sine mortali peccato fuit, & esse
affirmat, qui secum hæc dicunt (ut illi de peccato loquuntur mortali) immo &
sine ueniali, cū hæc dicat in spiritu ardens: Neq̄ enim hæc ad deum oraret, nisi
spiritu serueret, & tamen nemini dicit suos errores esse cognitos, & tales erro-
res, quos nisi deus mundaret, saluum fieri non permetterent, neq̄ super uenia-
libus tam ardentem oraret & mundari ab eis peteret, quæ illi tam uilia habent,
ut nesciam

superbia non
strenequitta

Caro quid sit

Sophistarum
hereses.